

sed interualla temporis longioris, meritum putat, ut docebat S. Joan. Chryfost. Hom. 5. in Ep. 1. ad Timoth.

6 Decimo quarto: Confessarius doceat Moniales suas id, quod Gregorius Papa Septimus scripsisse Mathilda Ducifae refert Card. Baron. ann. 1074. num. 12. & 13. videlicet, duo professe ad perfectionem christianam acquirendam; frequentiam scilicet sanctissime Communionis, & devotionem erga DEIPARAM.

7 Decimo quinto: Iisdem narret, qualiter Sancta Catharina Senensis quotidie, ex Divini Sponsi monitu communicabat. S. Antonin. 3. part. Hist. tit. 23. cap. 14. §. 8. & aliquando ad os illius Sacratissimam Hostiam fuisse miraculose allatam.

8 Decimo sexto: Sanctum quoque Bonaventuram, dum juvenill ætate abstineret præ nimia reverentia, & timore à Sacre Synaxis sumptione, eam fuisse sibi ab Angelo oblatam; & ad frequenter fumendam exhortatum. Sur. in ejus Vita tom. 3. die 13. Jul. Et in Chron. S. Franc. par. 2. lib. 2. cap. 2. Prout etiam S. Petrus Cœlestius cum statisset præ humilitate abstineret à frequenti celebratione Missæ, monitus fuit cœlesti quadam Visione, ut quotidie celebraret. Ribadeneira in ejus Vita in extravag. die 19. Maii.

10 Decimo septimo: Legat Confessarius Sacras Ephemeres, id est Vitas Sanctorum extravagantes scriptas à supradicto Hieronymo à Basilica Petri ( qui olim nobilis Aulicus Eminentissimi Præfultis nostri, plus nunc est Presbyter Congregationis Oratorii Neapolis ) & inveniet exempla plurima, eaque pulcherrima, narranda prædictis Monialibus devotis, sed timore perterritis, ut eas suadet ad communicandum frequenter; nam die 5. Januarii n. 13. Sanctus Gerlacus Eremita fuit ab Angelo communicatus. Beata Ivetta, cum quidam Sacerdos recufasset illam communicare, apparuit S. Joannes Evangelista, qui Missam celebravit, & ei Sacratissimam ministravit Eucharistiam. Die 13. Januarii n. 28. Beata Veronica Monialis Mediolanensis pluries ab Angelis, bis à CHRISTO Domino fuit Sacra communione resecta. Diæ die 13. Januarii num. 8. Apollonius Abbas hortabatur suos Monachos, ut frequentissime Sacramentum Corporis, & Sanguinis Domini sumerent. Die 25. Januar. n. 12. Beata Joanna de Valois, filia Ludovici XI. soror Caroli VIII. & uxor Ludovici XII. Regum Franciæ devotissima erat Sanctissime Communionis. Die 14. Februarii n. 5. Sanctus Ludanus Peregrinus communicatus fuit ab Angelis. Die 12. Februarii n. 2. B. Juliana Priorissa Montis Cornelli, Leodii, vocabatur EUGHARISTIAM delicias gutturis sui. Die 5. Aprilis num. 5. Ven. Ida Virgo Lovaniensis tantò desiderio expectabat communicari, ut sibi transgereret peccora vena. Die 13. Aprilis num. 7. & tanta exultabat lætitia in conspectu Sacratissime Hostiæ, ut frenetica reputaretur. Ibid. num. 12. Et aliquando, cum reperisset apertum Tabernaculum impetu amoris acta Pixidem extraxit, in qua Sanctissimum Corpus CHRISTI servabatur, & adoratione facta, non cessabat Pixidem viculari, ad suas genas admoveere, & stringere ad pedes. Ibid. num. 17. Cumque fecerit accedere ad communionem, & perterrita à consideratione Majestatis Divinæ, & prope suæ indignitatis, vellet recedere, apparuit illi Deipara, ac Evangelista Joannes, illamque afficiens ad accipiendum sacrum CHRISTI Corpus duxerunt. Ibidem num. 23.

12 Decimo octavo: Tandem Confessarius legat Admiranda Orbis Christiani per Joannem Bonifacium Bagattam Clericum Regularem Theatinum collecta ( opus utique admirandum ob nimiam lectionem, eruditionem, & quasi infinitorum prodigiorum exempla prodigiosum ) & in eis tom. 2. lib. 3. cap. 3. §. 4. reperit, plures Sanctas, & devotas Virgines,

ex humilitate non audentes accedere ad Sacram Eucharistiam sumendam, fuisse tum ab Angelis, tum à CHRISTO Domino eadem resectas; ex quibus exemplis abundè hortari, & confortari poterunt Moniales hinc temporibus ad frequentiam Venerabilis Sacramenti, ob extimam, & ineffabilem benignitatem Salvatoris, qui illud instituit, non ut claustrum fervaretur in Pixide, sed ut ab animabus puris, & devotis reciperetur, quibus se oblectare posset juxta illud: *Deliciae meae esse cum filiis hominum.* Proverb. 8. 31.

Moniales verò secundi generis, quæ raro communicant, eo quia libertinam vitam ducunt, negligenter vivunt, & non satagunt religiosæ perfectionis, suadendas esse ad frequentiam Sanctissime Communionis, dictum fuit, sequentibus rationibus.

Primò, quia Monialis tepida Deum inhonorat, & 13 ei displicet, unde dicitur causare vomitum, & nauseam Altissimo, juxta illud Apoc. 3. 16. *Quia tepidus es, ego incipiam te vomere ex ore meo.*

Secundò, quia obtenebrat pulchritudinem, & splendorem totius Communitatis, & Monasterii; est enim Monialis indevota tamquam filius inobediens, sponsa infidelis, & miles indisciplinatus, qui militarem ordinem perturbat.

Tertiò, quia privat se ipsam donis, & Christatibus cœlestibus, & se præcipitat in Cordis duritiem, & finalem impenitentiam, rem quidem miseram, juxta illud: *Dicis quod dives sum, & locupletatus, & non nullus ego, & non scis, quia tu es miser, & miserabilis, & pauper, & cæcus, & nudus.* Apoc. 3. 17.

Quartò, quia Monialis vitæ tepidæ, & indevotæ dat scandalum aliis, & præcipue adolescentulis, quæ de facili imitabuntur ejus exemplum. Scriptum est autem: *Peccatum illi, per quem scandalum venit.* Matth. 18. 7.

Quintò, idcirco ei inculcandum, quòd *arcta est via, quæ ducit ad vitam.* Matth. 7. 14. Unde S. Teresa in Admonit. 14. pag. 319. epist. par. 1. ait: *Amara più, e camina con più rettitudine, perché il camino è stretto.* Idem tantùm abest ut liceat tepidè vivere, quòd immò oporteat, pro justitia agonizare, & usque ad mortem certare pro justitia. Eccles. 4. 33. Siquidem, ut ait Apostolus 2. Timoth. 2. 5. *Qui certat in agone, non coronabitur, nisi legitime certaverit.*

Sextò, ulterius innuendum esse hujusmodi Moniali, quòd Deus postulat cor ejus, dicens: *Filia præbe mihi cor tuum.* Prov. 13. 26. Diabolus autem conatur sibi illud arripere. Hinc S. Antonius Abbas cum invenisset Diabolum insidantem inter suos Monachos, & interrogasset, quid prætenderet ab illis? Respondit diabolus: *Præterdendum lunam, oculum bovis, & quartam partem rotæ; & evanuit.* Orans autem S. Abbas intellexit quòd diabolus prætendebat cor Monachorum expressum à diabolo supradictis verbis, quæ denotat has tres litteras C. O. R. Unde quidam Poeta cecinit.

*Dimidium spheræ, spheram, cum Principe Romæ, Postulat à nobis divinus conditor Orbis.* Ut refert Episcopus Osmen. in 1. partem Epistolæ. S. Teresie in advot. ad Admonit. 18. num. 8. §. 9. & 10. pag. 328.

Septimò, addendum, quòd Patres Eremitæ, teste Cassiano lib. 10. *Monast. Instit. cap. 1.* docebant, tepiditatem vitæ esse Dæmonium Meridianum; de quo in Psal. 90. tum quia tentat in viridi ætate, tum quia transformatum in Angelum Lucis impedit ne Religiosa tepida cognoscat periculum vitæ suæ; ut tradit Arelus tom. 7. pag. 656.

Octavò, subinde oportet admonere Moniales tepidas, & se subtrahentes à frequentia SS. Communionis, mortiferum esse signum, cum infernum cibum repunit & esse scriptum, quòd *anima saturata calcabit favum.* Proverb. 27. & cum Deus punire voluit

voluit Hebræos misit saturatam in Animas illorum. Psalm. 105. 15. id est morbum saturantem, ut notat Genebrard.

Nonò terrendas hujusmodi Moniales, & revocandas esse à tepiditate prædicta, quia eam sequitur violatio Cæstilitatis; unde scriptum est: *In lapide luto lapidatus est piger.* Eccl. 22. 1. unde Sanctus Bonaventura ait: *Lapis luteus potest dici peccatum immundum, ad quod Accidia facit hominem pronum;* ac etiam Poeta cecinit:

*Quæritur Equus quare sit factus adulter? In promptu causa est: desidiosus erat.*

Quapropter etiam in Paradiso voluptatis injunctum fuit Adæ, ut operaretur. Gen. 2. 15. quia Religio Paradisus est, & Religiosa debet operari, & à desidia, & tepiditate cavere, quod etiam comprobatur ex eo, quia super Altare Domini Panes propositionis debebant esse Calidi. 1. Reg. 21. 6.

Decimò, idcirco Confessarius debet efficaciter hortari tepidas Moniales, ut fervorem, & calorem Spiritus assumant, & desipiant accedere frequenter ad sacram Mensam, aliàs timeant, ne pereant; cum scriptum sit: *Qui elongant se à te peribunt.* Psal. 72. 27. Et Petrus cecidit, ac Magistrum negavit, quia in ejus passione (cujus memoriale est Eucharistia) sequebatur eum à longe. Luc. 22. 54.

Undecimò addendum per Confessarios, ne prædictæ Moniales tepidæ expectent senectutem, pro devotione habenda; siquidem: *Qui convertentur ad Vesperam, jamem patientur ut Canes.* Psal. 58. 7. Et Virgines fatue, quia tardaverunt ornare lampades suas Oleo fervoris, & devotionis, audiverunt sponsum dicentem sibi: *Nescio vos.* Matt. 25. 12. Ideoque, *Hodie si vocem Domini audieritis, nolite obdurare Corda vestra.* Psal. 94. 8.

Duodecimò, addenda sunt exempla, quibus Sancti Patres animadverterunt in Religiosis tepidos; nam Sanctus Pacomius Abbas prohibuit exequias super Monacho tepido defuncto, ut in ejus vita cap. 39. Filius, qui obtinuit à Matre, ut religionem ingrederetur, dicendo *volo salvare animam meam*, cum declinasset à fervore spiritus, habuit Visionem, in qua rapus ante Dei tribunal judicandus, & condemnandus, vidit Matrem suam, & audivit eam sibi exprobrantem, *ita salvasti animam tuam?* Ruffin. de Vitis Patrum num. 213. Alius Monachus tepiditate spiritus correptus, cum parùm post obiisset, visus fuit ab ejus Magistro orante, quòd rapiebatur per fluvium igneum: *Menech. Hist. Sacr. part. 3. §. 235.* Qui §. 303. subdit, Sanctam Birgittam virginem Scotam vidisse Satanam jacentem propè Moniale, quæ desidia, & torpore in Religione vivebat; ex Sur. in ejus vita Kal. Februar. Et Sanctus Ignatius Religiosus tepidè operantem redarguit dicens: *Sic pro Deo operaris? Philagia Tractationum. 30. pag. 396.*

Decimo tertio: Ultra monita, & exempla hucusque adducta prudentis Confessarii intererit proponere auxilia, quibus Moniales tepidæ, & indevotæ fervorem acquirant, & devotionem. Hæc erunt, ut suscipiant voluntarias penitentias, quotidianas aliquas mortificationes, vel in comedendo, vel in silentio servando, vel à collocutoriis abstinentiis; ex quibus paulatim accendetur in earum cordibus amor, & fiducia erga Deum, & devotio erga SS. Eucharistiam, quam frequentantes ex obedientia ipsius Confessarii, fiorent sicut Palma; & tamquam Sponsæ dilectæ, die, ac nocte desiderabunt Angelorum pane saturari, juxta illud: *in Lethulo meo quæsi qui diligit Animam meam.* Cant. 3. 1. *Inveni illum, & non dimittam, & repleta amore divino, quæ prius tepidæ erant, frequenter exclamabunt: O quam suavis est Domine Spiritus tuus, qui ut dulcedinem tuam in filios demonstraveris, Pano suavissimo de Cælo pressito, esurientes replens bonis, fastidiosos divites dimittens inanes.*

Antiph. ad Magnif. in prim. Vesper. in fest. Corp. Christi.

Ultimò, ubi reperiretur aliqua Monialis ita contumax, ut hortari non posset rationibus, & exemplis ad frequentiam Sanctissime Communionis; eidem esset notificanda obligatio, quam ex præcepto tenet, vi professionis, ut fufius probatur infra in Decif. 49.

DECISIONIS VI.

Ad Februarii Quæstum primum.

ARGUMENTUM.

Traditur definitio Sacramenti EUCHARISTIÆ; circa quam tria referuntur. Unum Theologicè, an essentia hujus Sacramenti consistat in Corpore Christi? An in speciebus consecratis? An in his, & illo simul? Alterum Historicè quò referuntur sexdecim errores, ex tot hæresiarum prodiiti contra hoc Venerabile Sacramentum, ab initio Ecclesiæ, usque ad præsens. Tertium Methodicè, quò exarantur argumenta concludenter probantia, veram, & realem præsentiam Christi Domini in EUCHARISTIA.

SUMMARIUM.

- 1 Eucharistiæ Sacramenti definitio.
- 2 Essentia Sacramenti Eucharistiæ in quo consistat?
- 3 Opiniones tres circa essentiam Sacramenti Eucharistiæ.
- 4 Errores hereticos sexdecim circa SS. Eucharistiam.
- 5 Judas Iscariotes primus hereticus contra Eucharistiam.
- 6 Argumenta probantia veritatem SS. Eucharistiæ.

QUÆSTITUM PRIMUM.

Quid sit Sacramentum EUCHARISTIÆ.

RESPONSUM fuit, Sacramentum Eucharistiæ esse signum sensibile Corporis, & Sanguinis Christi, veraciter contenti sub speciebus Panis, & Vini post consecrationem factam à Sacerdote, sub certis verbis, cum debita intentione prolatis, ex institutione divini significantibus Corpus Christi sub eis realiter contineri. Quæ quidem definitio est Scoti in 4. dist. 8. q. 1. sub A. quam refert Mairius ibid. disp. 3. q. 1. num. 1. & Emin. Card. de Laurea in 4. lib. sent. tom. 1. disp. 17. num. 6.

Circa quam definitionem tria reperi notabilia ab eruditissimo Clero Patavino in responsionibus de prompta. Primum spectans ad Theologos speculativos. Secundum ad Ecclesiasticos Historicos. Tertium ad Missionarios Apostolicos.

Primum notabile spectans ad speculativos Theologos fuit, in quo verè, & propriè consistat essentia Sacramenti Eucharistiæ? Cum enim ad hoc Sacramentum perficiendum multa concurrant, scilicet Consecratio, Corpus, & Sanguis Christi, Species consecratæ, & Ufus, sive sumptio Sacramenti; disputant Theologi, in quibus ex istis omnibus essentia Sacramenti Eucharistiæ propriè, & intrinsecè consistat? Et quidem relicti opinionibus Novatorum, qui docuerunt consistere vel in sola Consecratione, vel in sola Sumptione ad tradita per Magistrum in Theolog. Moral. disp. 18. n. 4. Castrum de Heresib. verb. Eucharistia Heres. 11. & Emin. Bellarm. lib. 4. de Eucharistia. Tres sunt Opiniones Catholicorum circa præsentem quætionem, ut notat Less. in Opusc. Posthum. de Sacram. Euchar. q. 73. art. 1. n. 7. & Colleg. Sal.

charitatis esse verè, & realiter Corpus, & Sanguinem Christi, siquidem infimè Hæretici fatentur, credendum esse scriptis SS. Patrum, qui sex primis sæculis floruerunt. Rich. Ardeckim tom. 1. trakt. 1. cap. 10. quæst. 7. De ord. success. Pontificum Romanor. 6. & 7. sæculo pag. mibi 73. Ideò S. Cypr. sermo de Cena Dom. ait: *Panis ille, quem Dominus Discipulis suis porrigebat, non effugit, sed natura mutatus est, cum potentia Verbi effectus est caro. Quid queso claris dici potest? S. Hilar. lib. 8. de Trinit. scribit: De Veritate Carnis & Sanguinis non est relictus ambigendi locus. S. August. serm. in Pf. 33. ait: Ferbatur in manibus suis. Quomodo hoc intelligatur in Davide secundam litteram non invenimus, in Christo autem invenimus; Ferbatur enim Christus in manibus suis, quando commendans ipsum Corpus suum ait: Hoc est Corpus meum; ferbatur enim illud Corpus in manibus suis. Concordat S. Joan. Damascenus de Fide lib. 4. cap. 14. dicens: Dominus dixit hoc est non corporis signum, sed Corpus: non Sanguis signum, sed Sanguis. Pariter S. Epiphanius in 7. Sinodo ad. 6. Numquam invenies (inquit) neque Dominum, neque Apostolos, neque Patres inventum illud sacrificium, quod à sacerdote offertur, imaginem dixisse, sed ipsum Sanguinem. Eandem veritatem apertissimis verbis professi sunt S. Ambrosius & S. Cyr. Jerosol. in lectionib. 2. Noct. ser. 4. & 5. infra Oñav. Corpor. Christi, & S. Cyrillus. Alexandr. in 3. Nocturn. Oñav. ejusdem festi, adeò ut negare realem existentiam Corporis, & Sanguinis Domini in Eucharistia idem sit, ac dicere, supradictos SS. Patres fuisse Hæreticos, & ab Ecclesia separatos. Quod quidem est horrendum dictum: cum id ipsi fuerint primitivæ Ecclesiæ præcipui Doctores, ac defensores; & absque dubio confitent, primitivam Ecclesiam nunquam negasse dictam realem præsentiam, sed illam semper docuisse, & per suos Patres, & Doctores posteris tradendum proposuisse. Quartum, & non leve argumentum hujusce veritatis sumitur ex illa manifesta accusatione, quam Pagani faciebant contra fideles, primitivæ Ecclesiæ, vocando illos Antropophagos, idest comestores carnis humanæ, quia manducabant Christi Carnem & Sanguinem in SS. Eucharistia, ut scribit Tertull. qui vixit secundo, circiter, Christi ævo; lib. 6. Apolog. contra Celsum cap. 7. & 9. Quomodo igitur primi Christiani veræ, & primitivæ Ecclesiæ, fuissent accusati ab Ethnicis, ut Antropophagi, si in Eucharistia panem tantum, & vinum manducarent, non autem Carnem, & Sanguinem Domini? Quæ quidem argumenta laus enarrant Andr. de Castellana in suo Mission. Apostolic. part. 4. Instru. 5. & novissimè Rich. Ardeckim in Theolog. Tripartita dist. tom. 1. de Sacramento Eucharistie cap. 3.*

## DECISIONIS VII.

Ad Februarii Quæstum secundum.

## ARGUMENTUM.

Continet undecim non inelegantes differentias inter hoc, & alia sex Sacramenta Ecclesiæ, quarum ultima est, EUCHARISTIAM nutrire etiam corpora devotè communicantium; idque pluribus exemplis comprobatur.

## SUMMARIUM.

1. Differentie undecim inter Sanctissimam Eucharistiam, & alia Sacramenta.
2. Exempla eorum, qui vivebant sola Eucharistia absque alio cibo.

## QUÆSITUM SECUNDUM.

Per quid differat Eucharistia à cæteris Sacramentis.

Undecim Differentias collegi ex Responsionibus transmissis, Prima ex Materia, & Forma, quæ est omnino diversa à materiis, & formis aliorum Sacramentorum. Emin. Card. de Lugo de Sacram. Eucharist. dist. 1. num. 2. Secunda, ratione finis, nam Eucharistia instituta est ad conservandam, & augendam vitam spiritualem Animæ, non secus, ac cibus materialis conservat vitam naturalem, qui finis non competit ex propria institutione alteri Sacramento. Concil. Trid. sess. 13. cap. 2. Tertia, Nam cætera Sacramenta materie usu perficiuntur, dum scilicet alicui administrantur, at Eucharistia perficitur sola consecratione ipsius materie, & verum Sacramentum esse non definit, quamvis in Pixide asservetur, Catech. Roman. de Sacram. Eucharist. cap. 9. Less. de eod. Sacram. quæst. 78. num. 1. Emin. Card. de Lauræa de Eucharist. disp. 17. art. 3. & Magistrus in Theolog. Moral. disp. 18. num. 4. Quarta; quia in consecrandis aliis Sacramentis nulla fit Materie, atque elementi in aliam naturam mutatio; in Eucharistia verò substantia Panis, & Vini mutatur in Corpus, & Sanguinem Christi. Cap. Panis est, de consecrat. dist. 4. Catech. Roman. d. Cap. 9. Quinta, quia reliqua Sacramenta perficiuntur à Ministro, ut Minister est; sed Sacramentum Eucharistie perficitur à Ministro ut immediatè representat Christi personam; sicut lex Verus data fuit ab Angelo, ut immediatè representante ipsum Deum; unde Angelus sæpè dicebat: Ego Dominus, ut observat Lessius d. quæst. 78. art. 1. Sexta, quia Eucharistia semper habet effectum suum, idest Corpus Christi; alia autem Sacramenta non semper habent effectum realiter, ut ex Scoto in 4. dist. 8. quæst. 1. notat Emin. Card. de Lauræa d. disp. 17. art. 3. Septima, quia Sacramentum Eucharistie est fons, & origo gratiæ, continens Christum Dominum, auctorem totius gratiæ, cætera verò Sacramenta sunt veluti rivuli, recipientia ab hoc fonte quidquid boni, & perfectionis habent. Catech. Rom. de Sacram. Euchar. cap. 46. S. Thom. 3. p. 2. q. 79. art. 1. Oñava, quia Sacramentum Eucharistie adoratur cultu latriæ, non autem reliqua, ut ex SS. Ambr. Chrysol. & August. demonstrat Layman lib. 5. trakt. 4. cap. 1. num. 3. & Baldellus tom. 2. lib. 3. disp. 8. num. 15. & 17. Nona, quia cætera Sacramenta non sunt Sacrificia: at Eucharistia Sacramentum est, & Sacrificium, in ea enim continetur Hostia mundissima, quæ offertur æterno Patri. Canus de locis Theol. lib. 12. cap. 13. in fin. Decima, quia alia Sacramenta conferunt gratiam in eodem instanti, quo recipiuntur, sed SS. Eucharistie Sacramentum diffundit suam gratiam in animam illud recipientem toto tempore, quo species Sacramentales durant in stomacho, eandem gratiam augendo, ut ex Cajetan. Valent. Suarezio, Aversa, Hiquo, & aliis, probabilius esse ostendit Emin. Card. de Lugo de Euchar. disp. 12. num. 48. & seqq. usque ad num. 66. Magistr. in 4. sent. disp. 3. n. 415. & in Theolog. Moral. dist. disput. 18. num. 54. Undecima, quia Eucharistia præter plurimos spirituales effectus, quos operatur in Anima, de quibus infra Mense Octobri, extendit etiam suam virtutem ad corpora illorum, qui devotè eam sumunt; dum plurimi vixerunt longo tempore absque alio cibo, quam sacra Communionem, ut ex sequentibus exemplis.

I. Sanctus Gerasimus Abbas quadraginta dies absque cibo jejunos transibat, contentus sola Eucharistie participatione. Bolland. in Actis SS. Martii tom. 1.

II. S. Simeon Stilites sæpius absque cibo, & potu qua-

tu quadraginta dies jejunavit, & nisi die Paschæ sumpto Christi Corpore quidam favebat. Theodoret. in Hist. Reliq. cap. 26.

III. S. Catharina Senensis à die Cinerum, usque ad Ascensionem Domini sine cibo perduravit, sola Eucharistia Communionem contenta. Friger. in ejus vita lib. 1. c. 8. num. 5. & Blossius in Monili in append. ad d. Sanctam. Idcirco de ea sic proficitur, & profert Ecclesia in Missa ejusdem sanctæ post Communionem: *Aeternitatem nobis Domine conferat, qua possi sumus Mensa celestis, que Beata Catharine Virginitatis vitam etiam aluit temporalem.*

IV. S. Rosa Peruana solo Eucharistico cibo satiata integras, nihil aliud degustando, transigebat hebdomadas. Bertolin. in ejus vita cap. 22.

V. De Erone Monacho, non nisi per tres menses comeditisse suscepta fola Communionem sacramentali, scribunt in Vitis PP. lib. 8. cap. 32.

VI. Sancto Liberali Altimoniensi, cujus ossa Tarvisi honorantur, concessum fuisse, ut Dominico quoque die spiritali alimonia Corporis, & Sanguinis Christi, & sine ullo alio cibo reliquum tempus perageret, refert Petr. de Natal. lib. 4. cap. 93.

VII. S. Ebrulphus Abbas octogenarius, in gravem morbum lapsus, dies quadraginta septem vixit nihil profus esculentis, aut poculentis sumens præter aquam solam, & Corpus, & Sanguinem Christi. Sur. tom. 6.

VIII. Liduvina puella devota intra octo & viginti annos, nullo corporali cibo refecta, solo Dominici Corporis Sacramento per singulos dies Dominicos accepto, vixit abito, corpus attenuatum solis nervis cohererebat, & ossibus; carnes consumptæ vires ademerant, Circa Anno 1424. Krentzius in Wandalia lib. 11. cap. 3.

IX. B. Catharina Genensis tempore Quadragesimæ, & Adventus nullo corporali cibo vesceretur, solaque Eucharistia nutrita illis temporibus vivebat. Hocque prodigium fuit in ea viginti tribus annis, tempore Quadragesimæ, & Adventus: reliquo etenim tempore cibum corporalem favebat. Ejus vita cap. 4. impressa Genæ anno 1677.

X. B. Angela Fulgins tantam fortitudinem, & nutrimentum, ex hoc Sacratissimo reportabat Convivio, ut per duodecim annos continuos nihil corporalis cibi degustarit, plene satiata hac esca Celesti, quam quotidie digno favebat fervore, ut habetur in Annal. Minor. anno 1309. num. 14.

XI. Columba virgo Peruana sola Eucharistia ad multos annos absque cibo vitam mirabiliter conservavit, ex Krentzio d. lib. 11. cap. 3.

XII. Nicolaus de Rupe Eremita Saxulæ in Helvetia, relicta Conjugæ, & liberis in Eremitum secedens, Deo servivit, sine corporali cibo, sola Eucharistia nutritus, annis decem, & novem, ac mensibus sex. Oloric. Rainald. anno 1480. num. 42.

XIII. In parte Aquilonari Angliæ, dicta Northfolchia, fuit devota quædam in Christo puella dicta vulgariter Joanna Meles, idest sine cibo, quia nunquam cibum gustare, vel potum, per tempus annorum quindecim reperta est, sed solo Sacramento Dominici Corporis, diebus Dominicis vesceretur, ut refert Thom. Valden.

XIV. Anno Domini 1288. comperta est in Germania in Villa Bykel puella, quæ absque omni cibo annos triginta vixit, Eucharistie sacrosancto Sacramento contenta: & cum aliquando Sacerdos Hostiam non consecratam obtulisset, & ipsa incauta assumpsisset, intra fauces hæsit, adeò, ut glutire non valuerit: Mox verò cum Hostia consecrata oblata fuisset, absque alio impedimento glutivit. Ita Major. dier. Canicular. collat. 4.

XV. S. Arsenius Constantinopolitanus eo perfectionis, extinctis propè sensibus devenit, ut nullo terrestri palu indigeret, sed Angelorum pane, &

immortali ambrosia pasceretur. Roder in Viridar.

XVI. Soror Dominica de Paradiso toto Quadragesimæ tempore nihil aliud cibi degustavit, nisi Sacramentum Eucharistiam, quæ sola etiam vivebat integris hebdomadibus. Ignat. de Nente in ejus Vita. 2. c. 8.

XVII. Ursula Benincasa celestis refecta cibo per tres, aut plures dies vivebat absque alio alimento, quam Eucharistico, ut in ejus vita cap. 35.

XVIII. Pauper Sacerdos, quem Portia Cardinalis Baronii Mater elemosynis sustentabat, vixit quadraginta dies nullo alio gustato cibo, nisi Sacrosancto Corpore, & Sanguine Christi, quod in Missæ sacrificio quotidie assumebat, alendo prædictis elemosynis plures nepotes pupillos, eosque mendicos. August. Mannus Hist. select. cap. 240.

XIX. Beata Colleta Monialis Ordinis S. Claræ, ad exemplum Salvatoris jejunavit quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, solo Eucharistico pane refecta. Wadingus in Chron. anno 1406. P. Leonard. à Neapoli in Chron. Reliq. Seraphicæ part. 3. lib. 3. cap. 25. num. 103.

XX. Soror Maria Villa Ordinis Prædicatorum nullo corporali cibo indigebat, nam tribus, quatuorve hebdomadibus jejuna perseverabat, sola Eucharistia refecta, & si ex obedientia cibum fumeret, violenter statim è stomacho rejiciebat. Dominic. Maria Marches. in ejus Vita, quem refert Jo. Bonifac. Bagatta in Admirand. orb. Christian. tom. 2. cap. 3. f. 5. ubi plurima consimilia exempla, quæ brevitate causa omittuntur, à piis lectoribus poterunt videri præter supradicta per eundem R. P. Bagattam relata.

## DECISIONIS VIII.

Ad Februarii primum Casum.

## ARGUMENTUM.

Disputatur, an Vir Nobilis habens domi suæ Oratorium privatum ex Indulto Pontificio, possit in eo bis, terve in hebdomada communicari? Ex hac occasione plenè explicatur, quæ sint Oratoria Publica, & quæ privata? Docentur utrorumque conditiones, & prærogativæ. Ostenditur, posse Episcopum ob gravem causam concedere, ut aliquando celebretur Missa extra Ecclesiam exemplo Gaslini Episcopi Patavini anno 980. in Villa Pulverariæ, ubi miraculosè fuit reperiuntur Corpus S. Fidentii Paduani Antistitis. Ostenditur, Oratoria Palatiorum Cardinalium esse Publica; nec non illa Episcoporum; & horum septem Privilegia, à Jure concessa, recensentur. Examinatur, an Regulares possint celebrare in Oratoriis privatis? Et veritas ex optimis Auctoribus hauritur. Tandem enucleantur singulæ Clausulæ Litterarum Apostolicarum, quibus conceditur Personis Nobilibus Oratorium privatum; per resolutionem plurium dubiorum in praxi occurrentium. Deinde proposito casu de communicando Patrono in Oratorio privato respondetur.

## SUMMARIUM.

1. Oratoria alia sunt publica, alia privata.
2. Oratoria sunt publica, si oblium in via publica habeant.
3. Oratoria publica gaudent Ecclesiastica immunitate: secus privata.
4. Oratoria privata non dicuntur capacia pollutionis.
5. Oratoria publica an possint habere januam, per quam habeatur ingressus in domum privatum? Opinio negativa.
6. Opinio affirmativa.
7. Conjectura interpretativa litterarum Pape, & De-

Salmantic. tom. 10. de Sacram. in gen. trañ. 4. cap. 1. dub. 2. n. 13. Prima est, quod essentia hujus Sacramenti consistat in Corpore Christi, quod continetur in reñto sub Eucharistia, ut videtur sentire Thomas Valdenſis tom. 2. de Sacram. cap. 21. Sayr. lib. 1. c. 1. de Sacram. definit. q. 8. art. 6. §. Ad septimum. Card. de Lugo de Sacram. Euchar. disp. 1. scđ. 3. n. 36. & Colleg. Salmantic. d. dub. 2. num. 15. §. 16. ubi has rationes, & auctoritates cumulat. 1. Quia communiter loquendo, eam dicimus Sacramentum Eucharistia, intelligimus Corpus Christi. 2. Ex Verbis Domini, qui ait Panis, quem ego dabo; id est Sacramentum Eucharistia, caro mea est. 3. Quia Corpus Christi est res, & Sacramentum simul. Ergo est Sacramentum Eucharistia: valet enim argumentum à propositione de prædicto copulato ad quamlibet ejus partem: ut Petrus est albus, & Muscus. Ergo Petrus est albus. Petrus est Muscus. 4. Quia idem est Sacramentum Eucharistia, & Sacrificium, sed hoc in Missa est Corpus, & Sanguis Christi. Ergo idem est Sacramentum. Cæterum hæc opinio communiter reprobat, eò quia cum de ratione Sacramenti sit esse signum sensibile, Corpus, & Sanguis Christi (ut in Eucharistia existunt) non sunt signa sensibilia, & visibilia.

Secunda opinio est Scotistarum doctentium, essentiam Sacramenti Eucharistia consistere in recto, in speciebus consecratis panis, & vini, connotantibus tamen Corpus, & Sanguinem Christi sub ipsis contenta in obliquo. Hoc probant. 1. Ex Ecclesia, quæ in sequentia Missæ ait: Fractio domum Sacramenti, ne vacillet, sed memento, tantum esse sub framento, quantum toto tegitur. Fractio autem est species, non autem Corporis Domini sub eis contenti; nam sequitur Ecclesia dicere: Signi tantum sit fractura, qua nec status, nec statuta signati minuitur. Ergo ipsæ species consecratæ habent essentiam hujus Sacramenti, & in ipsis consistit essentia hujus Sacramenti. 2. Ex collecta Missæ post communionem incipiente Purificet nos &c. in qua dicitur Sacramentum, que sumptissimum in numero plurali, ob pluralitatem specierum, in quibus Eucharistia Sacramentum consistit. 3. Ex cap. Ego Berengarius, de consecr. dist. 8. (sumpo ex actis Synodi Romanæ sub Nicolao Papa Secundo) in quo firmatur, Panem, & Vinum, que in Altari ponuntur, post consecrationem non solum Sacramentum, sed etiam verum Corpus, & Sanguinem Domini nostri Jesu Christi esse. Ergo Sacramentum est in speciebus Panis, & Vini consecratis. 4. Ex cap. Cum Marthe 6. §. Distinguedum est. De Celebrat. Missæ, ubi Innocentius Papa Tertius docet, tria in hoc Sacramento esse distinguenda, dicens: Primum est Sacramentum, & non res (id est species consecratæ) Secundum est Sacramentum, & res. (Videlicet species prædictæ, nec non Corpus, & Sanguis Christi.) Tertium est res, & non Sacramentum. (hoc est ipsum Corpus, & Sanguis Christi) & ideo ibi subdit Glos. in Verb. Tertium in fine, Primum est tantum Sacramentum signati. Secundum est signati, & signatum. Tertium est signatum tantum. Ergo essentia Sacramenti stat in recto in speciebus consecratis, nempe primario; secundario autem, seu in obliquo in ipso Corpore, & Sanguine Domini sub ipsis contento. Ita Matritius in 4. sent. d. disp. 2. n. 18. §. in Theol. Morali d. disp. 18. n. 7. ac Emin. Card. de Lauræa d. tom. 1. in 4. sent. disp. 17. art. 2. n. 28. ubi etiam allegat verba Concilii Lateranensis, in quo dicitur, Cujus corpus, & sanguis in Sacramento Altaris continetur; & ideo cõcludit, quod species panis, & idcirco cõstituit essentialiter Sacramentum Eucharistia.

Tertia est opinio recentiorum doctentium, Sacramentum Eucharistia proprie esse compositum ex speciebus, & Corpore Christi, sicut homo est ipsum compositum ex anima, & corpore, & Christus ex

Deo, & homine. Hoc autem probant. 1. Quia S. Irenæus lib. 4. contra hæreses cap. 34. expressè docet, Eucharistiam consistere duobus rebus, terrena, & celesti: per terrenam intelligit species panis, & vini; per celestem Corpus Christi. 2. Ex Can. Hoc est, de consecr. dist. 2. in quo habetur, Sacramentum Ecclesie consistere duobus, visibilibus scilicet elementorum specie, & invisibili corpore, & sanguine Domini, sicut Christi persona constat Deo, & homine. 3. Ex Sanctis Patribus Justino, Ambrosio, Theodoro, & aliis, qui comparant Eucharistiam cum Verbo Incarnato, quod sicut in Christo sunt duæ naturæ, divina, & humana, ex quibus unus est Christus: ita in hoc Sacramento sunt duæ naturæ, scilicet Corpus Christi, & species extera, ex quibus unum consistit Sacramentum. 4. Quia inter Corpus Christi, & species consecratas intervenit aliqua Unio; nam ex illis fit quid unum; sicut ex speciebus, & substantia panis, in cujus locum Christus successit, quid unum fiebat, quamvis illa Unio fit subtilior. Atqui hoc unum non est aliud quam hoc Sacramentum; quia hoc compositum ex speciebus, & Corpore Domini est unum signum efficax gratiæ. Ergo est unum Sacramentum. 5. Sacramentum Eucharistia absolute est adorandum adoratione latræ ex Conc. Trid. sess. 13. c. 5. Ergo si solæ species haberent essentiam Sacramenti, ipsæ jure proprio expeterent latram, quæ tamen eis nisi per accidens, & secundum quid debetur. Ita Lessius de Sacram. Eucharistia d. q. 72. art. 1. n. 7. §. 8. ubi citat S. Thom. in 4. dist. 8. q. 1. art. 1. Victoriam q. 152. & Alanum lib. 1. de Euchar. c. 3. §. seqq. Emin. Card. de Lugo de Sacram. Euchar. disp. 1. scđ. 3. n. 35. & ibi Suar. disp. 42. scđ. 2. §. 3. Valentia 3. part. disp. 6. q. 1. Coninch. qu. 73. art. 1. & Vasquez disp. 167. cap. 5. Utraque opinio potest amplecti. Hæc ultima videtur magis adæquatæ, siquidem species consecratæ sunt signum externum, & sensibile. Caro autem Christi est cibus animæ proveniens non ratione specierum, sed ratione Corporis Christi sub eis latentis, ut novissime notant Hermet. Theologic. part. 7. trañ. de Eucharistia cap. 1. concl. 3. Layman lib. 5. trañ. 4. n. 1. §. 2. & novissime Agudius De Sacramentis part. 4. cap. 1. num. 32.

Secundum notabile ex responsis nostri Cleri collectum, spectans ad Ecclesiasticam Historiam continet sexdecim sequentes errores, quos evomit Infernus, & ejus miserissimi habitores, hæretici scilicet, & Hæresiarum, à principio Ecclesie, usque ad præsens, qui fuerunt.

I. Judas Icarotes hæreticorum primus, qui non credidit Christi Domini realem præsentiam in Eucharistia; & sicut unus ex illis, qui auditus eius verbis: Caro mea verè est cibus &c. scandalizati sunt, & dixerunt: Durus est hic sermo, & quis potest eum audire? Jo. 6. 60. ubi subdit Evangelista, Redemptorem statim dixisse: sed sunt quidam ex vobis, qui non credunt: sciebat enim ab initio JESUS qui essent non credentes, & quis traditurus esset eum. Et ideo Judam conspirasse cum aliis ad oppugnandam Eucharisticam veritatem, docent S. Joann. Chrysof. Hom. 46. & D. August. trañ. 27. uterque in d. cap. 6. Joann. ut refert Sebastian. Sallèles de Materiis Tribunalium S. Inquisitionis tom. 2. lib. 3. cap. 5. Reg. 213. num. 8. ubi notat, quo possint Auctore gloriosi omnes fidei hæreticorum, impugnantiam realitatem Corporis Christi in Eucharistia.

II. Montanista, qui & Cataphrygæ hæretici, à quibus miscebatur Sanguis infantis anniculi in Farina ad cõficiendas Hostias consecrandas; ut ex D. August. Hæres. 26. & ex S. Epiphani. Hæres. 48. docet Emin. Card. Baron. anno 173. n. 33.

III. Paulus Samofatenus Episcopus Antiochenus, qui ajebat, Sanguinem Christi consecratum in Eucharistia esse corruptibilem. Emin. Card. Baronius, anno 165. num. 5. §. 6.

IV. Manichæi, qui (ut erant impudicissimi) esfundebant humanum semen in farinam, ex qua Panem pro Eucharistia esformabant, negantes transubstantiationem ejusdem Panis in Carnem Christi, ut tradunt S. Cyrill. Cath. 6. & S. August. de Hæres. n. 46.

V. Donatistæ pariter negantes præsentiam Christi in venerabili Eucharistia Sacramento, quod impie tradebant canibus, ut scribit S. Optatus Milevitan. lib. 2. contra Parmen. subdicens, ab ipsis canibus accensis rabie eosdem hæreticos quasi latrones, & reos Sancti Corporis, demerit vindicæ, lanatiõs fuisset, quod notat etiam Emin. Card. Bona. Rerum liturg. lib. 2. cap. 17. n. 6.

XI. Nestoriani, qui sicut duas personas esse in Christo docebant, divinam unam, humanam alteram; ita in Sacramento Eucharistia dicebant esse solum Humanitatem Christi, absque Divinitate; ut ex Prateol. Verb. Nestorius, & Gualter. cap. 8. scđ. 4. quatuor colligit idem Sallèl. Rogul. 244. n. 123. §. 124. subdicens ibidem quod ipsi Nestoriani tenebant Eucharistiam esse sumendam in utraque specie, & in Pane fermentato tam ab Adultis, quam à Parvulis.

VII. Tatianistæ, qui Sacramentum Eucharisticum in sola Aqua cõficiiebant, & ideo vocabantur Hydroparastatæ; Theodoret. Hæretic. Fabul. lib. 1. & Emin. Card. Baron. Anno 174. n. 10.

VIII. Mahometani, ex impio Mahomete provenientes, qui negant realitatem Carnis Christi in Eucharistia, & ex eis impius Averroes, qui sugillabat Christianos, tamquam Deum suum manducantes. Prateol. Verb. Mahomet. & Sallèl. d. lib. 3. c. 11. reg. 273. n. 125.

IX. Photius Pseudo-Patriarcha Constantinopolitanus, & ejus sectatores, qui docuerunt, inter alios errores Sanctissimam Eucharistiam non posse cõfici in Pane Azymo, non esse immiscendam Aquam in Calice, Laicos esse communicandos sub utraque specie, Corpus Christi non esse consecrandum, nisi in Feria 5. Genæ Domini, ipsum esse dandum Pueris statim post Baptismum, & Homines malos non recipere Carnem Christi, ut latius scribit Prateol. Verb. Græci, Alphonf. de Castro Verb. Eucharistia Hæres. 213. & Sallèl. Reg. 262. à n. 314. usque ad 324.

X. Illuminati Hæretici, qui oculos claudiebant, dum elevaretur SS. Eucharistia, & docebant, licitum esse etiam non jejunis communicare, & illum plusgratæ accipere, qui majorem Hostiam, minus verò, qui monorem deglutiunt. Gualter. cap. 28. scđ. 17. & Sallèl. d. lib. 3. cap. 19. Reg. 315. n. 464. 467. 484.

XI. Arrabonarij, quorum alii vocati sunt Metamorphistæ, Tropistæ, & Energici, qui omnes negabant verum Corpus Christi contineri in SS. Eucharistia, sed nobis dari in Tropo, & figura, seu Energia, & Virtute, tamquam Pignus, & Arrabonem investituræ Paradisi. Prateol. Verb. Arrabonarij n. 65. Gualter. seculo 16. cap. 96. §. 98. Sallèl. Reg. 296. n. 756. §. seqq.

XII. Ecolampadius natione Germanus, Sanctæ Birgitte quondam Monachus, deinde Lutheri discipulus, & tandem Antilutheranus, qui docebat illa verba: Hoc est Corpus meum, importare: Hoc significat Corpus meum: & Hoc est figura Corporis mei, Prateol. in verb. Joannes Ecolampadius. Sallèl. Reg. 290. n. 304.

XIII. Martinus Lutherus, qui docuit esse quidem in Eucharistia verum Christi Corpus, sed tantum secundum usum, id est, eò dumtaxat tempore, quo manducatur, & sumitur; non autem per existentiam permanentem; & ideo post celebratam Missam non esse servandam Eucharistiam in Altari. Alphonf. de Castro verb. Eucharistia Hæres. 22. Prateol. & Gualter. quos citat Sallèl. Reg. 288. n. 89. 90. §. 91. ubi subdit eundem Lutherum docuisse, sumendam esse Eucharistiam sub utraque specie Panis, & Vini etiam à

Laiicis, & non esse necessariam Confessionem Sacramentalem ante Communionem, sed solum Fidem communicantium.

XIV. Theodorus Beza, qui docebat in defectu Panis, & Vini posse cõfici Eucharistiam ex quovis alicibo, & potu. Gualter. secul. 16. cap. 26. Prateol. verb. Bezanite, Sallèl. Reg. 293. n. 638. §. seqq. ubi notat, Theodorum Beza fuisse Natione Burgundum, Legumque licentiatum; de quo etiam habetur in Vita Sancti Francisci Saleſii lib. 1. c. 12. propriè, quod ipse Sanctus Franciscus Genævæ disputavit de Fide cum eodem Theodoro Beza, qui factus fuit suos errores, sed ne dimitteret juvenicam concubinam, quam adamabat, & tenebat, recusavit Catholicam Veritatem amplecti; quamvis esset annorum Septuaginta, & propterea eum tandem Diabolus rapuit in Orcum.

XV. Monasterienses, & ipsi Hæretici Anti-Lutherani progeniti à quodam Joanne Bocheldi Leidense Suctore, à quo acceperunt, quod forma consecrandæ Eucharistiam hæc esse debebat: Accipe, Ele, Memento Domini. Ita Prateol. Verb. Monasterienses, & Verbo Joannes de Leiden.

XVI. Et ultimò Calvinistæ, qui à Joanne Calvino eorum Magistro didicerunt, in SS. Eucharistia non esse pretiosissimum Corpus, & Sanguinem Domini Nostri Jesu Christi: eam tamen esse cõficiendam ex Pane fermentato, cujus transubstantiationem inficiabatur, denegantes Eucharistia adorationem, & vocantes Lutherum Idololatram, eò quia dixerat, Eucharistiam esse adorabile Sacramentum; præter alias Blasphemias contra Sanctissimam Eucharistiam, & Missæ Sacrificium, quas fuscè narrat ex scriptis ejusdem Calvini Sallèl. d. lib. 3. c. 18. Reg. 292. à num. 620. §. seqq. Ex quibus omnibus fideles colligere possunt quantum fuerit Amor Christi Domini in genus humanum, dum non recusat relinquare suum pretiosissimum Corpus, & Sanguinem in Venerabili Eucharistia Sacramento, quamvis sciret tot Dæmones, post Vbi Hæretici, & scelerati Homines, infurecturos in ipsum, ac blasphemias injuriisque illum affecturos.

Tertium notabile pertinet ad Missionarios Apo- stolicos concernit argumenta quibus probatur vera, & realis præsentia Christi Domini, ejusque Carnis, & Sanguinis in Eucharistia, & sunt sequentia. Primum: Verba ipsius Christi Matth. cap. 26. Hoc est Corpus meum, quod pro vobis tradetur. Hic est Sanguis meus, qui pro vobis effundetur. Sicut enim verè, & realiter traditum fuit Corpus Christi, & verus ejus sanguis effusus, non autem figuratiter, sic in Eucharistia verè, & realiter continetur ejus Corpus, & Sanguis, non autem sub figura, ut voluit Hæretici: Exemplo conversionis Aquæ in Vinum factæ à Christo in Cana Galilææ, & similitudine probi, & prudentis Patris, qui si promississet, se relicturn filio auri summam, & in ultimo testamento traderet scripium ipsi filio cum his verbis: hoc est aurum, quod tibi promisi: nemo dubitaret illic verum aurum contineri, & non figuratiter tantum. Sic cum Christus promississet, se relicturn Discipulis Corpus suum manducandum, quando postea ipsum illis in Cena exhibuit, dicens: Accipite, & comedite, hoc est Corpus meum, de reali corpore, non autem figurato loquutus fuit. Secundum, ex Verbis Pauli Apostoli, qui 1. Cor. 10. ait: Calix Benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio Sanguinis Christi est? & Panis, quem frangimus, nonne participatio Corporis Christi est? & iterum: Quicumque manducaverit Panem hunc, vel biberit calicem Domini indignè, reus erit Corporis, & Sanguinis Domini. Quomodo ergo reus erit Corporis Domini indignè manducati, qui non manducat Corpus Domini; sed tantum ejus figuram? Tertium: Testimonia Sæculorum Patrum, qui in primitiva Ecclesia aperte locuti sunt, in Eucharistia